

Ordines reverentiam revocatos: nec permisso, ut Officia aut inferiores Magistratus Ecclesie & personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione & canonicis sanctionibus constitutam, aliquo cupiditatis studio, seu inconsideratione aliqua violent, sed una cum ipsi Principibus debitam sacris Summorum Pontificum & Conciliorum constitutionibus observantiam præstent. Decernit itaque & præcipit, sacros Canones & Concilia generalia omnia, necnon Apostolicas sanctiones in favorem Ecclesiasticarum personarum libertatis Ecclesiasticæ, & contra ejus violatores edita, quæ omnia præsentis etiam decreto innovat, exacte ab omnibus observari debere. Propereaque admonet Imperatorem, Reges, Republicas, Principes, & omnes & singulos, cujuscunque status & dignitatis exstiterint; ut quo largius bonis temporalibus, atque in alios potestate sunt ornati, eo sanctius quæ Ecclesiastici juris sunt, tamquam Dei præcipua, ejusque patrocinio testata venerentur: nec ab illis Baronibus, Domicellis, Rectoribus, aliisque Dominis temporalibus, seu Magistratibus, maximeque ministris ipsorum Principum ladi patiantur: sed se vere in eos, qui illius libertatem, immunitatem, atque jurisdictionem impediunt animadvertant: quibus etiam ipsi met exempla ad pietatem, religionem, Ecclesiarumque protectionem existant: imitantes anteriores optimos religiosissimosque Principes, qui res Ecclesie suæ in primis auctoritate ac munificentia auxerunt, nedum ab aliorum injuria vindicaverunt. Adeoque hac in re quisque officium sæculo præstet, quo cultus divinus devote exerceri, & Prælati, ceterique Clerici in residendi & officiis suis quieti & sine impedimentis, cum fructu & adificatione populi permanere valeant.

94. Sacri Canones, quos decreto isto Concilium Tridentinum se renovare declarat circa dignitatem & immunitatem Ecclesie, habentur circa dignitatem Romanæ Sedis, quam nemo judicare potest, dist. 17. per totam, cui omnes Ecclesie & Synodi obtemperare debent. Item dist. 96. c. bene quidem: & reliqui canones, per totam; ubi decernitur, Principes & Magistratus seculares nullam habere potestatem de rebus Ecclesiasticis disponendi, c. si quis suadente, 17. q. 4. contra percussores Clericorum aut Monachorum. Item toto tit. de immunit. Eccles. tum in antiquis, tum in sexto, tum in Clementinis, tum in extravagantibus. In his passim, & in c. quamquam, de censibus, prohibetur census & tributa imponi Ecclesiis, aut Clericis onera, præstationes, & vectigalia, vel servitutes, sub pena excommunicationis singularium personarum imponendum, aut exigentium, & interdictionis Universitatum, Collegiorum, & civitatum hujusmodi onera indicendum, aut exigentium. Item c. felix, de penis in 6. contra insequentes, persequentes, aut in captivitate ditigentes, percutientes, vel occidentes S. R. E. Cardinales, eorumque persequentium filios, ac nepotes. Itemque adversus eos qui insequuntur Clericos, vel Religiosos, & familiares Papæ; & penas irrogat Potestatibus secularibus hujusmodi insultus non impediuntibus, aut non coercentibus debitis penis. Item in domibus Ecclesiarum non debet judex laicus judicare, aut hospitium sibi aut suis vindicare, c. 1. de immunit. Eccles. In Ecclesiis dato humili ingressu debet orationibus insisti: exclusis clamoribus, seditionibus, consiliis universitatis laicorum, & eorum publicis Parliamentis, vanis colloquiis, negotiationibus & nudinis, judiciis secularibus: & in Ecclesia habitata a judicibus secularibus sententia atque processus nullatenus valent secundum Concilium generale Lugdunense sub Gregorio X. & habetur c. decet domum, de immunitat. Eccles. in 6. Concilium etiam generale Lateranense sub Alexandro Papa III. excommunicat quoscumque collectas imponentes Clericis aut Ecclesiis; & quoscumque jurisdictionem Ecclesiasticam impediunt aut sibi usurpantes judices laicos, & habetur c. non minus, de immunit. Eccles. His adde leges ipsas Imperiales, l. non solent, c. vectigalia nova institui non posse, & l. placet, c. de sacros. Eccles. & Capitularia Caroli Magni. Quibus ad Junge c. Valentinianus dist. 63. ut exemplo sit & documento Christianis Principibus venerationis & obedientie religiose erga Ecclesiam sacros Antistites: Valentinianus Imperator veniens ab Oriente ad Hesperias partes, mortuo Auxertio Ariana perfidia magistro, quia Mediolanensem Ecclesiam ut lupus dilaniaverat, cum veller Catholicum, Deo ordinante, ibi consecrare Episcopum, evocans Episcopos hac eis loquutus est: Nostis aperte, eruditi quippe divinis eloquiis, qualem oporteat esse Pontificem, & quod deceat eum non solum verbo, sed etiam conversatione gubernare subiectos, & totius imitatorum virtutis semetipsum ostendere, restemque doctrinæ conversationem habere bonam. Talem itaque in Pontificali sede constituite, cui & nos, qui gubernamus Imperium, sincere nostra capita submitamus, & ejus monita, dum tamquam homines deliquerimus,

necessario velut curantis medicamenta suscipiamus. Hoc cum dixisset Imperator, petiit Synodus, ut magis ipse decerneret sapiens & pius existens. At ille: Super vos est, inquit, talis electio: vos enim gratia Divina potiti, & illo splendore fulgentes melius poteritis eligere. Tunc Sacerdotes egressi de Episcopali Sede tractabant. Cum autem ordinatione Divina, Ambrosius nondum baptizatus electus fuisset, exultans Imperator: Gratias tibi ago Domine Deus omnipotens, & Salvator noster, quoniam huic viro ego quidem commiseram corpora; Tu autem animas, & meam sententiam ostendisti tue justitie convenire. Cumque Sanctus Ambrosius contristaretur de hoc, quod acciderat, (ut ipse in suis epistolis scripsit) confortavit cum Imperator & ait: Noli timere, quia Deus, qui te elegit, semper te adjuvabit: & ego adjutor, & defensor tuus (ut meum ordinem decet) semper existam. Hoc refert Ambrosius ipse in Epistola ad Vercellenses.

Cap. XXI. Postremo sancta Synodus omnia & singula sub quibuscumque clausulis & verbis, quæ de morum reformatione, atque Ecclesiastica disciplina, tam sub beati recordationis Paulo tertio, ac Julio tertio, quam sub beatissimo Pio quarto Pontificibus maximis in hoc sacro Concilio statuta sunt, declarat ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ & sit & esse intelligatur.

Hoc idem protestati fuerant Tridentini Patres sub Paulo III. Sess. de reform. in princ.

Cap. XXII. de Indulgentiis. Cum potestas conferendi indulgentias, a Christo Ecclesie concessa, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa sit, sacrosancta Synodus indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem, & sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet & præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negat. In his tamen concedendis moderationem juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero qui in his irrepserunt, & quorum occasione insigne hoc Indulgentiarum nomen ab hereticis blasphematum, emendatos & correctos cupiens, præsentis decreto generaliter statuit, prævos quæstus omnes pro his consequendi, unde plurima in Christiano populo abusus causa fluxit, omnino abolendos esse: Ceteros vero qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quoquo modo provenerunt, cum ob multiplices locorum & Provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas, commode nequeant specialiter prohiberi; mandat omnibus Episcopis, ut diligenter quisque abusus hujusmodi Ecclesie sue colligat, eosque in prima Synodo provinciali referat, aut aliorum quoque Episcoporum sententia cogniti, statim ad summum Romanum Pontificem deferantur: cujus auctoritate & prudentia, quod universalis Ecclesie expediat, statuatur, ut ita sanctarum Indulgentiarum munus pie, sancte, & incorrupte omnibus fidelibus dispensetur.

95. Cap. XXVII. Decretum fuit de petenda sacra universalis Synodi a Pio quarto Pontifice Maximo confirmatione, quam ille suo diplomate concessit anno millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, Pontificatus sui anno quinto. Constans est Catholicorum persuasio, posse errori succumbere Concilia quantumvis numerosa, nisi approbatione supremi totius Ecclesie Capituli ac Petri successoris muniantur. Cui Christus ipse promissit: Super hanc petram edificabo Ecclesiam meam: & porte inferi non prævalent adversus eam. Matth. 16. Et pro certo asseruit Luca 22. Ego rogavi pro te, ut non desiciat fides tua. Nec sufficienter adest totum Ecclesie corpus, si reliquis membris Caput ipsum non concurrat, vel suffragetur. Idcirco Damasus Pontifex in Romano præfatus Concilio Ariminensem Synodum multo Nicæna numerosiore damnavit, qua perfidia Ariana confirmabatur. De qua hac ipsemet ad Illyrici Episcopos scribit: Neque enim præjudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregatum: quando constat neque Romanum Episcopum, cuius ante omnia decebat eos expellere decretum, neque Vincentium, qui tantis annis Episcopatum inviolabiliter custodierat, neque alios talibus præbuisse consensum. Eodem spectat altera ista ejusdem Damasi ad Stephanum & Concilium Africanum scribentis sententia: Nam, ut nostis, Synodum suæ ejus (loquitur de Romana Cathedra) auctoritate fieri, non est Catholicum: neque ulla unquam Concilia rata leguntur, quæ non sint subta Apostolica auctoritate. Atque ante Damasi tempora, Julius Pontifex in sua ad Orientales Episcopos epistola, quam integram refert Athanasius

nasius Apolog. 2. itemque Socrates lib. 2. cap. 13. & Sozomenus lib. 3. cap. 9. differte asserit: Fuisse a Sanctis Apostolis traditum, deinde in magna (hoc est Nicæna) Synodo declaratum, non posse ullam convocari Synodum inconsulto, aut invito Romano Episcopo. Prætereaque ante Nicænam Synodum Marcellus Papa & Martyr, in sua epistola ad Episcopos Antiochenæ provincie, refert ad Apostolorum sanctionem, ut nulla celebraretur Synodus absque Romanæ Sedis beneplacito. Perspicuum est ex ipsa Chalcedonenfis universalis Concilii electione, contendifse Legatos a latere Summi Pontificis Leonis Magni, nefas esse Dioforum in sacro Concilio confedere, eo quod Synodum Ephesi coegisset sine Apostolica auctoritate Sedis ita dicitur: *ὁ δὲ ἐξ ὧν γινώσκου, quod nunquam factum fuerat, neque fieri licitum est.* Quibus ex verbis constat, Concilium Constantinopolitanum, quod præcesserat, non nisi de consensu Damasi fuisse celebratum, cujus etiam Patres Orientales approbationem a Damaso expetiverunt, ut ex ipsorum liquet epistola Concilio subiecta. Itud præterea magis confirmatur testimonio septimæ œcumenicæ Nicænæ Synodi action. 16. in qua reprobat præcedens Synodus adversus sacras Imagines Constantinopoli inita, hoc maxime, quod inconsulta Sede Apostolica fuerit celebrata. Denique in Romano Concilio sub Papa Symmacho habito, cum Rex Theodorici convocatis Italia Præsulibus diceret, se ipsos accivisse, ut causam Symmachi criminum aliquorum postulat judicarent; Responderunt universi, non ad Regem, sed ad Romanum Episcopum convocationem Concilii pertinere, quamvis ipse Papa criminosi argueretur: neque prius acquievere, nisi postquam Symmachus palam asserit suo rogatu Episcopos fuisse a Rege convocatos, seque de novo Synodum istam approbare. Theologi, & sacrorum canonum periti duas perhibent regulas istius exceptiones. Quarum prima est, si accideret Romanum Episcopum infidelem esse, aut hereticum. Quo titulo Buronius astruit, Clerum Romanum legitime fuisse instructum potestate Concilium apud Sinuesam cogendi, postquam comperit fuisse Marcellinum Pontificem in persecutione Diocletiani diis gentilium immolasse. Quod enim a Marcellino minime sit illa convocata, inde liquet, quia ipse veritatis acquievit, quam multis supra omnem dubitationis aleam probationibus ad confitendum demum convictus fuerit, & adactus, ut ex actis ipsius Synodi comperitur sit. De hæresi vero sic docet Bonitacius Moguntinensis Episcopus & Martyr allegatus dist. 41. si Papa: *Cunctos judicaturus, ipse a nemine est judicandus, nisi deprehendatur a fide devius.* Et Innocentius III. Summus Pontifex serm. 2. de consecratione Pontificis ait: *In tantum fides mihi necessaria est, ut cum de ceteris peccatis Deum judicem habeam, propter solum peccatum quod in fide committitur, possem ab Ecclesia judicari.* Altera exceptio assignatur in occurrence schismatis: si jus primæ Cathedre foret inter plures ambiguum; sicut usuvent in Conciliis Pisano, & Constantiensi; quæ depositis illorum temporum summis Pontificibus, alios de novo creantur: illud quidem Alexandrum V. & hoc novo posteriori Martinum V.

DIATRIBA ECCLESIASTICA.

Circa Tridentinum decretum de Vulgata Bibliorum Editione,

1. **S**essio IV. sic decernunt Tridentini Patres, post enumeratos sigillatim divinatorum scriptorum libro: *Si quis autem libros ipsos integros, cum suis omnibus partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit; anathema sit.* Locum istum multi perperam detorqueunt ad singulas editionis vulgatæ particulas, cum tamen scopus longe diversus a Concilio intendatur: quod postquam libros quosdam canonicos & sacros, quos hæretici de canone obliterabant, sacro canonis asseruit, ulterius providit hoc eodem decreto, ut ex his etiam libris, quos hæretici horum temporum fatebantur nobiscum esse genuinos & canonicæ auctoritatis, partes aliquas etiam magnas & insigniter amplas, seu spurias, addititias & supposititias esse contendebant, debite auctoritati canonicæ vindicaretur. Atque hic est verus & germanus atque a Concilio intentus horum verborum sensus: *Cum suis omnibus partibus.*

2. Hanc vero Synodum generalem fuisse isto præcipuo sine congregatam, ut provideret, ne Christi Ecclesia ex erumpentibus Lutheranorum, Zuinglianorum, & Calvinianorum, Anabaptistarumque sectis ulterius caperet detrimentum, nemo est qui dubitet, idque liquido constat ex indicationis diplomate a Paulo III. edito, Cabassuri, Notitia Ecclesiastica.

At vero novatores sectarii duplicem circa sacros libros errorem innoxerant. Primum enim sacros aliquos libros de sacro canone expungebant: quales sunt Tobie, Judith, Sapientia, Ecclesiastici, Machabæorum: deinde alios quosdam nobiscum esse canonicos consentiebant, demptis tamen aliquibus partibus, quibus divinam abrogabant auctoritatem, eo quod licet in Latinis vulgatis editionibus habeantur, desunt tamen in Hebræis & Chaldaicis exemplaribus. Huic igitur secundo errori occurrere intendit sacra Synodus per hæc verba: *Cum suis omnibus partibus.* Nec vero ulterius ad singulas & minutas particulas mens illius collimavit, ut ex sequentibus navis perspicuum fiet, quos jam dudum librorum incuria & negligentia innoxerant: quos probatissimi & eruditissimi Catholici Doctores passim observarunt, quorum permultos hic recensere, postquam aliquas recensero partes, quas Catholici unanimes in sacrarium divinarum Scripturarum admittunt, sectarii autem inde tamquam profanas & commentitias eliminant.

3. Negant igitur Novatores esse canonica, & supprimunt ex propriis Bibliis tam Latinis quam vernaculis ista, quæ continentur in Catholicis editionibus vulgatæ Bibliis Genes. 4. v. 8. *Egrediamur foras.* Et Genes. 38. v. 5. *Quo nato, parere ultra cessavit.* Et Exod. 2. v. 22. *Alterum vero peperit, quem vocavit Eliezer, dicens: Deus enim patris mei adjutor meus eripuit me de manu Pharaonis.* Et 1. Reg. cap. 5. v. 6. *Et ebullierunt velle & agri in medio regionis illius, & nati sunt mures & facta est confusio moris magna in civitate.* Præterea 1. Reg. 10. v. 1. *Et liberabis populum suum de manibus inimicorum ejus, qui in circuitu ejus sunt: & hoc tibi signum, quia unxit te Deus in Principem.* Similiter 1. Reg. 14. v. 1. *Quid est, quod non responderis seruo tuo hodie? Si in me aut in filio meo Jonatha est iniquitas hæc, da ostensionem: aut si iniquitas hæc est in populo tuo, da sanctitatem.* Præterea 2. Reg. v. 5. *Et ostiaria domus purgans triticum obdormivit.* Insuper 2. Reg. 10. v. 19. *Expaverunt & fugerunt quinquaginta & octo milia coram Israel.* Similiter Paralip. lib. 1. cap. 1. v. 32. *Filii autem Dadan, Afurim, & Latuffim, & Laonim.* Alia hujusmodi fere innumera prætermitto, ab hæreticorum Bibliis exclusa.

4. Sunt insuper integra sacrorum Bibliorum capita & partes ingentes in vulgata Latina editione, desumpta ex Græca Theodotionis translatione, quarum nihil continetur in Hebræis, aut Chaldaicis voluminibus, quæ similiter a sectariis ut spurie respuuntur, quales legimus in libro Ester. Et præterea in libro Danielis, cujus cap. 3. habentur continui sexaginta septem versiculi, quæ omnes illi expungunt ac rejiciunt. Habentur præterea ea integra & proluxa c. 13. & 14. comprehenditias Sufane, & Bili draconis, & careeris Danielis, & translationis Prophete Habacuc amplas historias, quarum mentio nulla in Lutheranorum & Calvinianorum Bibliis vulgaribus, aut Latinis. Huic ergo hæreticorum circa libros sacros error occurrendum judicavit sacrosanctum Concilium, quando illos anathemate percussit, qui sacros cum suis omnibus partibus quales in vulgata Latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperint. Neque quidquam definire intendit aut cogitavit de omnibus particulis, aut verborum minutis universis, quæ neque res fidei, neque morum disciplinam convellunt aut labefactant.

5. Ab Apostolorum ætate per quatuor fere secula, injuria temporum inevitabili permulti navi in Græcam septuaginta Interpretum editionem, simulque in Latinam ex Græco translationem inveci fuerunt. Cui damno mederi volens Romanus Pontifex Damasus, Presbytero Hieronymo linguarum peritissimo curam hujus expurgationis demandavit, qua strenue functus est, ut colligitur ex Augustini ad Hieronymum ep. 8. & 10. & ex lib. 18. de civit. Dei cap. 43. & ex ipsius Hieronymi præfatione in Evangelia ad Damasum. Deinde progressu injuria sequentium temporum sylvestentibus (quod inevitabile malum est) ex innumerorum antiquorum & transcriptorum multitudine mendis, Carolus Magnus nunquam satis laudatus Princeps, sui quoque officii esse duxit hujus emendationis curam. Sic enim de se testatur in præfatione, quam edidit librorum & Officiorum Ecclesiasticorum: *Jampridem universos veteris ac novi Testamenti libros librorum imperitia depravatos, DEO in omnibus adjuvante, examissim correvi.* Ceterum post multorum sæculorum decursum irrepere denno in multa Bibliorum exemplaria depravationes, quas emendari & corrigi studuit ipsa Synodus Tridentina. Tantum itaque abest, ut omnia Bibliorum, quæ tunc circumferebantur, vocabula fuisse divinitus inspirata censeret; quin potius in multis locis fuisse per scriptorum incuriam, imperitiam, & inadvertentiam vitata, ideoque accuratior diligentia corrigenda judicavit. Eamque sollicitudinem decem selectis Doctoribus de-